



I N F U N E R E
VICTORII AMEDEI II.
SARDINIAE, JERUSALEM,
CYPRI REGIS &c.

O R A T I O

Habita in Templo S. Dominici
Cremonæ

A P. F. THOMA AUGUSTINO RICCHINI
Ordinis Prædicatorum S. T. M.

X. Kal. Jan. MDCCXXXII.

IN FENES

VICTORII AMDEI II

SARDINIAE, JERUSALEM,
CYPRICI REGIS &c.

ORATIO

Habita in Templo S. Dominici
Cremone

A. P. R. THOMA AUGUSTINO NICCHINI
Ordinis Praedicatorum S. T. M.

X. Kal. Jan. MDCCXXIV

(III)

O R A T I O.



I quis forte miratur publicam hanc qualemcumque funeris speciem, qua terris adempto invictissimo Sardiniae Regi VICTORIO AMEDEO II. parentamus, is intelligat velim Praedicatorum Ordinem tantum

illi debere, quantum, non dicam rependere, sed nec ulla posse significatione testari, omnium alumnorum suorum consensu solemniter profitetur. Quum enim Princeps ille clarissimus tam multis, tam variis, iisque summis nos excitaverit beneficiis, ut reliquis ferme omnibus, qui de Familia nostra praeclare meriti sunt, hac etiam laude praestiterit, nullum est officii, ac pietatis genus quo non optimi ac munificentissimi Regis manes prosequi debeamus: Praesertim quum superioribus proxime diebus summus Instituti nostri Moderator, ac Praeses litteris suis quibus nos de tanti Regis jactura monitos fecit, iussos etiam voluerit, ut eorum nihil praeter-

A 2

mittere-

(IV)

mitteremus quae ad celebrandum Benefactoris amplissimi nomen, effusamque in nos largitatem aliquo modo facere viderentur. Quare instituta publici huiusce luctus celebritate, illud etiam more institutoque Majorum curandum fuit, ut praeclara illius merita ornarentur laudatione aliqua, earumque commendatione virtutum quibus aeternum ille sibi decus, immortalemque famam paravit. Utinam vero mihi, qui hanc ipsam, quam, ut ingenue fatear, propensissimo quodam meo erga optimum Regem studio, properatam, ac tumultuariam dicendi provinciam non recusavi oblatam, tantum esset ab eloquentia praesidii, ut omnium Sodalium meorum sensibus memoris, gratique animi vices, ac debitas tanto nomini laudes cum gratiarum actione referrem. At quoniam meritorum ejus in nos amplitudo eloquentiam omnem superat, hoc plane restat unum, ut quo possumus simplici saltem narrationis compendio egregia, ac summa virtutum ejus ornamenta prosequamur. Dicam igitur, quando res ita tulit, omni prorsus eliminato assentationis furore, a quo ingenuum, liberalem, ac Religiosum in primis Oratorem immunem prorsus, ac vacuum esse decet, dicam ex iis pluribus,

&

(V)

& maximis quae praeclare fortiterque VICTORIUS AMEDEUS II. in hoc amplissimo Italiae, ac totius Orbis theatro gessit, pauca, & nonnulla, ex quibus profecto illum Imperio magnum, Religione vero maximum fuisse intelligetis.

Et quoniam primo mihi de summi ac sapientissimi Regis imperio dicendum est, qui non solum Majorum gloriam virtutum suarum laudibus aequaverit, sed acceptos imperii fines, ac relictum sibi patrimonium, magnitudine mentis, ac pacis bellicae studiis amplificare potuerit, silentio praeteream ea omnia ornamenta fortunae, quae in illum è clarissima, ac vetustissima Sabaudiae stirpe eductum mirifice conspirarunt. Magnae quidem felicitatis est AA. spectatissima in gente claris parentibus nasci: perfectae vero cumulataeque virtutis maxima ista fortunae liberalitate cum foenore uti, idque in dies noctesque cogitare, non quae a Majoribus acceperis, sed quanta illis egregie factorum copia pro parta honoris haereditate sint adjicienda.

Qua profecto verae laudis cupiditate vehementer incensus VICTORIUS AMEDEUS II. non Sabaudae gentis decore, non amplitudine imperii delinitus haesit ad metas, sed statim ab ineunte aetate sub M. Johanna Baptistae

(VI)

lectissimae Matris , ac virilis foeminae institutione , & tutela regnandi tyrocinium egit , ingentem virtute sua cumulum ad Avorum gloriam mox additurus . Jam enim vero tum emicare coepit animi plane Regii praeclara , ac pulcherrima indoles , ut sicut in herbescente segetum viriditate certa prope spes futurae messis apparet , sic nemo non illum a puero qualis postea futurus erat , talem facile prospiciendo auguraretur , Fortem , Magnanimum , Justum , Pium , Orbi regendo parem , ac regno majorem . Magna illi mentis alacritas , ingenium vividum , fervidum , bellicosum , facile vero , atque ad omnes cum pacis tum belli disciplinas percipiendas ita comparatum , ut quae disceret non tam accipere ab Institutoribus , quam ipse ex se se parere , ac quodammodo recordari videretur : Acre , certumque judicium usu rerum magistro plenius in dies , ac fortius : Memoria vero adeo praestans , ut quem semel de facie nosset , ejusque rem compertam , exploratamque habuisset , illico in mentem revocaret . Mores & jam tum in illa annorum teneritate graves , severi , compositi , & humanitatis tamen , ac facilitatis condimento ita temperati , ut amorem & majestatem amico foedere sociata in illo coiis-

se

se facile quisque arbitraretur. Quibus egregiis, praeclarisque animi bonis, ne quid in optimo Principe ad externam quoque formam desiderandum esset, natura ipsa quidquid bonorum habet ad regiae majestatis decus amplissime contulit: Nam & dignitas oris, ac totius corporis tantam ei gratiam, & venerationem conciliavit, ut nemo illum singulari obsequio non prosequeretur, ad quem ornandum, amplificandumque natura, virtus, & fortuna conspiraverant.

Sic ad gerendum imperium initiatus, cum primum emensis pubertatis annis avito sceptro manum admovit quo ille studio Rempublicam fovit, quibus beneficiis auxit, qua vigilantia ministravit? Nego enim clarissimos Sabaudiae Principes ulla unquam floruisse virtutum laude, qua ille in Reip. praesidium, atque ornamentum non circumfulserit. Nego quidquam esse gloriosum imperio, subjectis populis utile, exteris nationibus probatum, amicis, ac foederatis Regibus acceptum, quod non obierit summa industria, alacritate, ac fortitudine non expedierit.

Difficillimis hercle temporibus imperium gessit, quibus nimirum gravissima bellorum incendia Europam universam, Italiam vero,

ac Subalpinos cum primis martialibus flammis pervasere. Optasset ille quidem, ut ego interpretor, tamen bellicosae indoles Princeps, prosperam Principatus sui fortunam non armorum vi, ac strepitu, sed pacis otio, & tranquillitate firmare. At quando vel domesticis perduellionibus, vel externis armis laceffitus bellum invito etiam, ac reluctanti gerendum fuit, quanta Deus immortalis, & sagacissimae mentis, ac militaris imperatoriaeque dedit exempla virtutis?

Quantum enim vero illud est quod conflictantibus nunc prope, nunc intra Regni fines duobus potentissimis hostibus, ita partium vires semper ex aequo libraverit, ita suarum accessione virium alteram auxerit, ita neutri obstrictum, utrique vero se se necessarium praestiterit, ut eo adverso cuncta timerent, eo foederato cuncta sperarent, ac utrisque de Italiae imperio contententibus certam ille demum assereret, ac vindicaret Italiae libertatem.

Quam vero illud mirandum, quod subita hostium irruptione circumventus, ac pene ex insidiis captus licet ab armis, a militibus, ab amicis imparatus, tamen imperterritus stetit, immo & bellum minitantibus bellum

(IX)

bellum indixit, ac parva militum manu magni exercitus impetum fregit, insultantemque fortunam consilio, & arte delusit? Nam summa illi in antevertendo celeritas, in providendo solertia, in aggrediendo fortitudo, in retrocedendo simulatio, vel fuga certamine pulchrior, in aggeribus, vallisque metandis scientia, in aciebus dirigendis peritia, in repentinis consilium, in insidiis circumspectio, & si quid est aliud militaris industriae, bellicae demum artes omnes in eo uno collectae, ut majores in ullo vix, aut ne vix quidem invenias.

Quae vestra clarissimi Duces, aeternitate consecranda nomina Catinate, Eugeni Sabauide, Aurelianensis, caeterique quibus cum invictissimo bellatore nostro vel foederato, vel hoste dimicandum erat, quae mens, quis sensus fuit, cum omnium primum in acie vidistis per caedes peditum equitumque vadentem ubi acrior pugna, morsque praesentior, foederatos voce, suos imperio, omnes exemplo excitantem atque impellentem: in acie vero ita strenue dimicantem ut nec animus, nec virtus, nec consilium, nec disciplina, nec quidquam illi eorum omnium quibus vinci solet aliquando defuerit praeter

fortunam. Mirati estis profecto martiale atque eximium viri ingenium, ac summam in primis invicti pectoris fortitudinem qua semper immotus, magna licet exutus parte ditionis suae, paucisque stipatus suorum copiis fortissimum hostem vel insequentem elusit, vel irruentem profligavit, ab ipsis demum infelicibus praeliis semper cupiditatem pugnandi referens, spemque vincendi.

Neque vos tacitus praetermittam foederatum cum illo Reges, ac Principes, teque in primis JOSEPH Romanorum olim Imperator Auguste virtutis ejus aestimator aequissime. Tu illum quem ejurata semel Gallia Austriacis armis, & gloriae militantem habuisti, tuis itidem copiis auxiliisque ab ingruente, & vastante Pedemontanam regionem exercitu incolumem sospitemque servasti: At ille vicissim Insubriae fines, Italiae ostia objectu capitis fortunarumque suarum feliciter glorioseque servavit. Ejus demum auspiciis eoque ductore victrices Austriacas Aquilas Galliam tenuisse meminimus, illo praecunte in hostium aliquando fines pervolasse, aliquando in auctorum capita flammis, & tela sua retorsisse conspeximus.

Quum vero eo semper animo praestantif.

(XI)

tissimus Rex gloriosum ensē eduxerit, ut sinceram, solidamque pacem sibi, suisque pararet, diuturnum, quod maxime in votis habuit, ac difficillimum bellum lucrosa pace conclusit. Nam paucarum Arcium, Urbium, copiarumve detrimento, aut jactura Provincias sibi paravit, & Regna, quibus acceptam ab Avis ditionem feliciter auxit.

Pace itaque multo cum fœnore sic restituta ad omnem deinceps subditorum felicitatem, commoda, atque honestatem amplissimae mentis curas cogitationesque omnes convertit. Ac primo quidem cum animadverteret nullam unquam fuisse Remp., Imperium, aut Regnum florens, ac beatum, quod non optimis legibus constitutum, iisdem etiam contineretur, eam sibi mentem injecit ut latas a Majoribus suis, vel a seipso sanctissimas leges restitueret, multarumque accessiones illustratas in Codices, quos ab ipsius nomine Victorianos appellant redigeret, ex quo uno aequissimae, ac sapientissimae illius mentis divinum plane lumen in omnium oculos suspiciendum incurrit. Etenim recti, providique Legislatoris consilium eo spectavit, ut in subjectas sibi Provincias, & Urbes eliminatis vitiis omnibus ii mores inducerentur,

(XII)

quibus jam non hominum, sed virtutum sedes, pacis hospitia, Religionis templa, aequitatis domicilia viderentur. Felices itaque Sabaudos populos, quibus eas optimas a tanto Principe leges habere contigit, feliciores si sanctissime coluerint, felicissimi demum, si seculis omnibus observarint.

At ne rerum affluentia, & pacis commodis otium foveretur publicae, privataeque rei labes, & pestis, id quoque ut a Regni finibus arceret omni ope contendit, bonis Artibus in subsidium adductis, quibus virtus alitur, exornantur animi, Urbes illustrantur, & Regna. Nam, quae bello deformatae jacerant, scientias omnes, ac liberales disciplinas veluti postliminio revocatas amplissimo, ac magnificentissimo excepit athenaeo, labentemque, ac pene obsoletam Taurinensem Academiam accitis undique litteratis viris, ac pingui censu conductis restituit, erexit, ornavit. Quo quidem beneficio nescio an aliquid bonis unquam artibus contingere potuisset utilius, aut Italiae nostrae gloriosius; cum illae non solum in antiquam sedem, verum etiam in majorem gloriam, in amplioremque dignitatem sint restitutae; Haec vero vel una Taurinensi Academia caeterarum quibus

-imp
o A
Tran-

(XIII)

Transalpini homines maxime florent, atque gloriantur in invidiam vocari possit, ac cum illis Professorum eruditione, Auditorum frequentia, ac litterarum incremento certare.

Quum vero Instituti mei viros graves cumprimis, & doctos munificentissimus Princeps delegerit, quos Theologicis ac supremis celeberrimae Academiae Cathedris admove-
ret, eorumque operam, studia, ac labores ita probarit, ut eorum nonnullos ad regendas
ditionis suae Ecclesias evocarit, alium etiam Romana Purpura donari curaverit, non pos-
sum hoc loco AA. immortalis beneficii re-
cordationem tacitus praeterire, eamque non
omnibus grati animi sensibus praedicare.
Praesertim quum coniectis in omnes totius
Orbis scholas capacissimae mentis oculis, An-
gelicam D. Thomae doctrinam, maximam
sibi prae caeteris commendationem, & fa-
mam antiquitate, securitate, divinis, etiam, ac
Pontificiis oraculis comparasse animadverte-
ret, huic uni promovendae, amplificandae-
que regiam curam conferendam esse existima-
vit, firmo proinde, ac perenni decreto fan-
ciens, ne alia publicis in scholis ubique ditio-
nis suae locorum consecraretur. O amplissi-
mam enim vero, ac longe gloriosam Thomi-
sticis

(XIV)

sticis Lyceis honoris accessionem! o egregiam,
ac beneficentissimam in nostras litteras magni
Regis voluntatem, cui quidquid ornamenti,
ac praesidii derivabit, perpetuo acceptum re-
feremus. Quamdiu suus puriori Theologiae
stabit honos, quamdiu florentissima viveret
Taurinensis Academia, quamdiu ex illius
Cathedris D. Thomas loquetur, tamdiu
VICTORIO AMEDEO II. studiorum nostrorum
instauratori, vindici, propagatori immortales
habebimus laudes, ac tantum non aras po-
nemus.

Neque vero pacificas tantum, sed bellicas
etiam disciplinas complexus, equestrem Aca-
demiā a Patre Carolo Emanuele coeptam, a
M. vero Johanna Baptista ad calcem perdu-
ctam, mole augustam, atque magnificam
novis auxit incrementis, ut nobiliores quaeli-
bet Artes sub tanti Regis auspiciis florem
Italicae, externaequae Juventutis exercerent,
ac strenuos bello duces pararent. Nec moe-
chanicis artibus magnae mentis providentia
defuit, quarum laborem, industriam, & usum
vocatis ex Gallia, Belgio, Anglia praeclaris
opificibus in populorum suorum commoda,
utilitatemque derivavit.

Magna haec profecto sunt, & multa AA.
quae

quae pacifici Principis gloriae , ac Reipublicae felicitati satis , superque esse videantur : at VICTORII AMEDEI II. magnificentiae nequaquam satis . Nam quid ego referam Augustam Taurinorum novis , iisdemque amplissimis viis , augustis palatiis , fortissima arce , multis propugnaculis , multisque operibus auctam ? Quid Susae Arcem inter disiectas praerupti Montis rupes nullo ferme relicto antiqui operis vestigio inexpugnabilem redditam ? Quid Niceam , Verrucam , Eporediam , Alexandriam , Valentiam , Civatium immunita quondam , aut non satis tuta novis munimentis , & machinationibus propugnata ? Quid auctas ingenti sumtu militares copias , amplificatam rem bellicam , constructas armatasque triremes , contubernia ubique locorum pauperibus designata , quae-stumque sublatum , augustas moles vel a fundamentis excitatas , vel amplioribus ornamentis productas , atque absolutas ? Quod oppidum , quae Civitas regiam munificentiam non spirat , non loquitur , quae toto quam late patet Regno pervagata est praeclarissimis , atque in omne aevum mansuris operibus , quae sint clarissimo Regi sempiternae gloriae monumentum .

Tanta

(XVI)

Tanta mihi AA. se se offerunt acervatim
praeclara omnia, atque divina, quibus sa-
pientissimus Princeps populorum commodis
ac felicitati prospectum voluit, ac provisum,
ut eorum obrutus magnitudine & numero
vix rerum delectum, & ordinem servare pos-
sim, & multa praeterire cogar, quae si per-
sequi vellem, aut ornare dicendo, modum,
& fines orationis excederem.

Me quoque jamdudum ad se vocat alterum
illudque praecipuum laudationis ejus caput
Religio, singularis, atque eximia virtus pie-
tatis altrix, Fidei custos, Regnorum tutela,
ac publicae felicitatis praesidium, quam ille
animo stirpitus infixam adeo vehementer co-
luit, ut imperandi virtute, & fortuna a ne-
mine victus, in hac ipse se vicisse videatur.
Quae enim non fecit Religionis indicia, quae
non reliquit monumenta pietatis? Mitto sin-
gularem adversus divina, & sacra omnia ad-
hibitam reverentiam, aucta donariis, & cul-
tu Beatorum aras, & templa, quae expiandis
animi sordibus, sacrisque excipiendis fre-
quentissime adiret solus sine pompa, sine co-
mitatu, humilique adeo, privatoque cultu, ut
populo intermixtus de plebe unus videretur:
nunquam non difficillimis temporibus publi-
cis

cis , privatisque precibus D. O. M. exoratum, re bene gesta decretas supplicationes, ut felices omnes eventus ei soli acceptos referret. Praetereo summum , constans amantissimeque delatum Sanctissimae Dei Matri obsequium, cui in Supergae montis vertice ob reportatos de hoste triumphos, solutamque validissima obsidione Regiam Urbem Templum dicatum voluit longe amplissimum, atque magnificum; cujus etiam Lauretanam Imaginem instituto summa hyemis inclementia religionis causa itinere, non aliter se veneraturum affirmavit, quam infimus de plebe soleat, paratus, inquires ante celeberrimi sacrarii fores, si mos ferat, vel nudis pedibus ingredi.

Praeclara haec utrique, & summis in laudibus posita, sed quae illam solum pietatis, & Religionis famam conficiant, quae privatis finibus continetur. Video vos AA. majora expectare, & quidem habeo quae vobis huiusmodi afferam multa, atque ornatissima: Sed ut modum statuam orationi meae id unum proferam, in quo quidquid Regiam pietatem illustrat mirifice splendet; studium videlicet incredibile tuendae amplificandaeque Catholicae Religionis. De quo non est
cur

(XVIII)

cur plura praedicem, & res in omne aevum scriptorum ingenia fatigaturas exornare in his temporis angustiis enitar, & coner. Cui enim compertum non est quo ille zelo vehementer exarsit, quot labores, ac discrimina obierit, quot incommodis, ac difficultatibus sit conflictatus, ut grassantem in subalpinis vallibus Valdensem pestem amputaret radicem, atque convelleret?

Etenim terra illa natio perditorum, ac profligatorum hominum, qui ante Albigenes malo fydere orti, cum illis aucti, confirmatique, iisque cadentibus adhuc erecti, quinque Generalibus Synodis, undecim vero Romanorum Pontificum diris percussi, multisque Catholicis Regnis pulsi, tutissimam sibi sedem in repositis, extremisque illis Italiae oris, certumque asylum paraverant. Nequicquam adversus illos movere arma pietati addictissimi Sabaudi Principes, ut audacissimam, ac flagitiosissimam gentem suis finibus exterminarent; Nam repetitis cladibus, nec leviter immanis hydra perculsa statim relictis viribus convalescere visa est robore fortior, & propagatione foecundior.

Tibi enim vero VICTORI AMEDEE Religiosissime omnium Princeps praeclarum de nequissimo

quissimo hoste triumphum reservatum voluit
Fides , Coelum , Religio , ut dato eximio
Ecclesiae pietatis , ac fortitudinis tuae bene-
ficio immortalitate commendareris . Itaque,
ut olim iniquo Idolorum cultu contaminata
Judaea , foedato prophanis ritibus templo ,
solus e generosa illa Machabeorum stirpe Ju-
das inventus est , qui nullo commotus pericu-
lo Idola comminuerit , ex omnique Provin-
cia exulare jusserit superstitionem , non alius
pariter quam VICTORIUS AMBDEUS II. detur-
banda penitus e Catholici Regni finibus per-
ditissima secta , superiorum Principum glo-
riam longe superavit . O egregium , atque
immortale piissimi Bellatoris bella Domini
praeliantis facinus ! o divinum plane trium-
phum , quem nulla unquam conticescet aetas ,
cui tota plaudet aeternitas .

Jam vero quid aliud ad accessionem laudis,
& gloriae Triumphatori maximo reliquum
erat , nisi ut seipsum denique vinceret , ac
Religioni , & pietati fasces omnes , sceptrum ,
ac regnum ipsum summitteret . Atqui illud
etiam cumulatissime praestitit triumpho fane
ampliore , ac splendidiore , quam ut coeteris
ab ipso bello partis comparetur . Nam in sum-
mo rerum fastigio constitutus , eadem illa prae-
excel-

excelsa , ac pene divina animi celsitudine , qua potentissimos hostes vicerat , qua Urbes , Provincias , Regna ditioni suae adjecerat , qua regnandi gloria , & virtute Italiam , Europam , atque universum terrarum Orbem admiratione suspenderat , illa inquam ad multo sublimiora vehementissime erectus , omnibus terrenae gloriae stimulis gnaviter fortiterque retusis , firma adhuc , & valida aetate amplissimas regni curas ab se penitus amovit , nihil aliud deinceps curaturus , quam ut humanis rebus vacuus , ac soli Deo serviens animus sibi gloriosius imperaret . Itaq; CAROLUM EMANUELEM Filium jam aetatis , atque incremento virtutum , quas ipsi egregia institutione in se verat imperio maturum elegit , in quem omnia tum avita , cum bello parata Regnorum , ac Provinciarum jura libera regnandi potestate transferret , ac veluti Imperium ipse susciperet , incredibili mentis , ac oris tranquillitate imperium dimisit .

Quis tam excelsum magnanimi pectoris robur demiretur satis , quo dominandi libidinem omnibus insitam , ac vel ipsis Heroibus dominantem repressit , atque adeo splendide vicit , ut qui sublimior Imperio visus est cum imperaret , altior se ipso fuerit cum abdicavit imperium .

perium. Etenim non modo seipsum, sed & victorias suas gloriosissime vicit, hunc sibi summum, quem de seipso ageret triumphum recte arbitratus, ac multo pluris sibi faciendum ratus, quam ad tempus caducum humani regni gradum retinere, aeternum promereri. Ad quod posterioris vitae cursu vehementioribus animi sui affectionibus superatis ita se quam diligentissime comparavit, ut de summa, ac perenni ejus beatitate nemini ambigendum esse plane existimem. Nam, ut taceam de singulari, ac plane mirabili ejus constantia, ac fortitudine aequanimitate, qua tragicos adversantis sibi fortunae casus, seu verius amantissime saevientis Dei, virtutemque ejus exercentis severius, atque probantis, graves ictus patientissime tulit, omnium instar esto, quod in ipso vitae exitu Christianae fortitudinis exemplum dedit, animique humana omnia miro quodam imperandi genere superantis. Acerbissima aegritudine correptus, ac tantam dolorum vim perpeffus, quanta maxima cadere in hominem potest, neque eorum asperitate, nec diuturnitate fractus, nec adventantis mortis metu dejectus, pectus incredibili robore, ac firmitate munitum ostendit. Alacriter enim non
mi-

minus quam piē sacris expiari mysteriis religiosissime voluit, atque in eo rerum statu in solum Deum, quod unum sibi dolorum suorum lenimentum, animiq; solatium supererat, mente, & corde translatus, vitam gloriose actam pio, ac laudabili fine concludens, terrenum, quod abdicaverat regnum aeterno commutavit. In hanc certe plenissimam spem ob egregiam praeclarissimi Regis in Deum pietatem, in Deiparam cultum, in prosperis moderationem, in adversis constantiam, religionis zelum, justitiae studium, terrenorum contemptum, caeterasque Christiano Principe dignas virtutes, firmissime erecti, non est quod ejus vicem doleamus, sed quod nobis potius, atque Italiae gratulemur, quod eum hac nostra aetate Regem, Heroemque protulerit, quo uno non tam potest in omni genere laudis cum exteris gentibus, ac tota antiquitate certare, quam in multam etiam apud omnem posteritatem invidiam adduci.

**ps.2.* Caeterum tanti Regis exemplo * *nunc Reges intelligite, erudimini. qui judicatis terram,* optimum inter se coire posse foedus Imperium, & Religionem, atque unius studium, cum alterius felicitate componi. Nos vero
(ut

(ut eo tandem redeat, unde fluxit Oratio) nos qui clarissimi Principis iactura beneficentissimum Ordinis nostri parentem, litterarumque nostrarum praesidium longe maximum ereptum dolemus, conceptam animo aegritudinem perpetua beneficiorum ejus recordatione deliniamus. Nihil erit proinde nobis ad commemorandum suavius, nihil ad celebrandum gloriosius, quam VICTORII AMEDEI II. ornatissimum virtute nomen, quod monumentis aere perennioribus ita Praedicatorum linguis insidebit, & animis, ut nulla obliterari possit aetate, nulla oblivione deleri. Dicebam.

(ut eo tandem cedat, unde fluxit Ori-
tis) nos qui clarissimi Principis regis be-
nificentiis noster Ordinis nostri patris
licet inique nobis praesentibus
maximam eremus dolorem, conceptam
ancto segundum perpetui beneficium
eius recordatione delinamus. Nihil est pro-
inde nobis ad commemorandum iuvans, ni-
hil ad celebrandum gloriosus, quam Viro-
rum AMEDEI II. ornatum virum bonum,
quod monumentis aere perennioribus sit
dicatorem linguis indidit, & aeternis, ut
nulla oblitterari possit aetate, nulla obli-
vis ne deleri. Dicendum.